

In nomine sancte et individue trinitatis, amen. Fridericus^a secundus divina favente gratia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem^b et Sicilie rex^b. Iustis fidelium nostrorum petitionibus condescendere^c cogimur, quas, nisi favorabiliter audiremus, quod iuste petitur, obaudire per iniuriam videremur. Eapropter noverit tam presens etas quam futura posteritas, quod cives Wiennenses fideles nostri culmini nostro attentius supplicarunt, quod, cum dudum^d inter excellentiam nostram et Fridericum quondam ducem Austrie et Styrie oborta discordia, dum iidem cives ex fervore devocionis, quam ad celsitudinem nostram gerebant, magnificentie nostre abdicato eiusdem ducis dominio constanter et fideliter adheserunt, tradentes in manibus nostris civitatem Wiennensem cum rebus suis pariter et personis, quodam privilegio nostro ipsos et civitatem Wiennensem duxerimus muniendos idemque privilegium per ducem memoratum, postquam gratie nostre reformatus civitatem Wiennensem de consensu et voluntate nostra recuperavit, sublata in^e aurea bulla nostra, qua insignitum^f extitit, fractum fuerit, ipsum eis privilegium civitate ipsa post obitum eiusdem ducis ad nostrum et imperii dominium libere devoluta innovare de nostra gratia dignaremur. Cuius tenor per omnia talis est:

In nomine^g – indictione prescriptis^g.

Nos igitur, qui fidelium nostrorum merita irremunerata^h transire non patimur nec iustas eorum petitiones novimus obaudire, attendentes fidem puram et devocionem immensam, quamⁱ universi et singuli cives et habitatores predictae civitatis nostre Wiennensis ad maiestatis nostre personam et sacrum imperium gerunt, ipsorumque supplicationibus benignius inclinati suprascriptum privilegium nostrum huic nostro privilegio de verbo ad verbum insertum de imperiali preeminencie^j nostre gratia duximus innovandum. Statuimus igitur et presentis privilegii sancimus edicto, quatinus nullus dux, marchio, comes, advocatus, scultetus seu^k aliqua persona ecclesiastica vel mundana, humilis vel sublimis, contra prescripte gratie ac innovacionis nostre tenorem venire presumat. Quod qui venire^l presumpserit, in vindictam sue temeritatis CC^{as m} libras auri se compositurum agnoscat, medietatem videlicet camere nostre et reliquam passis iniuriam persolvendam. Ad quorum omnium predictorumⁿ memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium innovari fecimus et bulla aurea typario nostre maiestatis impressa^o iussimus insigniri. Huius autem testes^p sunt^p: a.b.c.^q et^r alii quam plures^r.

a) Anfangsbuchstabe ausgespart B. b–b) etc. B. c) condescendere D. d) folgt in turbacione D. e) inde D. f) insignitus B. g–g) folgt Privileg Friedrichs II. von 1237, oben Nr. 1; damit endet D, C setzt innerhalb des Inserts ein. h) irremuneranda C. i) folgt nobis C. j) preminencie B. k) sive C. l) fehlt C. m) ducentas C. n) fehlt C. o) impressa C. p) sunt testes C. q–q) folgt etc. B.